DE TYMPANITIDE DISSERTATIO AUGURALIS QUAM IN VETUSTO AC...

Angelo Garbi

DE

TYMPANITIDE

Dissertatio Auguralis

QUAM

IN VETUSTO AC CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO

PATAVINO

AD

SUMMOS MEDICINAE HONORES OBTINENDOS

PUBBLICAE DISQUISITIONI

OFFEREBAT

ANGELUS GARBI

PATAVINUS

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

1846

ANGELO

ALLA

DILETTA SUA MADRE

IN ARGOMENTO SOLENNE

DI AMORE - DI STIMA

RICONOSCENTE

C.

DEFINITIO

Tympanitis, tympania, (a tympano, cujus sonum abdomen percussum imitatur) est (sec. *Raimann*) cachexiae species, abdomine per fluida gaziformia chronice tumido et tenso, tumore proinde elastico et, dum pulsatur, sonante insignis.

Hippocrates morbum hunc hydropem siccum adpellat. Hujus auctoritate forsan seducti omnes fere prisci aevi auctores, uti Ætius, Aretaeus et alii, tympanitidem inter hydropes retulerunt, quem errorem eo facilius exscusemus oportet, si theoriam, tum temporis florentem, mente quidquam attentiore perlustramus; nam spiritum, seu flatum vocarunt vaporem, omnia sani hominis cava implentem; ichorem vero ipsum illum vaporem, frigore in humorem densatum. Crediderunt itaque, fluidum elasticum, quod in tympanitide abdomen in tumorem extendit, nil aliud esse, quam spiritum illum aeri commixtum; qui ubi frigore in aquam condensatur, ex hydrope sicco, seu tympanitide, humidum, seu ascitem, generari, sine dubio existimabant.

Celeberrimus *Petrus Frank* huic morbo, de quo loquimur, pnematoseos abdominis nomen impertit, quam hisce depingit verbis: « Est tumor abdominis anterioris ac medii praecipue, tensi, a decubitu supino vix subsidens; nec mutabilis perennis, elasticus a percussione saepe resonans, ascite plerumque levior, cum alvo utplurimum sicca, urinis non tam paucis; inani fere adructus, flatus, nisi tacitos deponendi conamine, dyspnaea tussi sicca, singultu violento, anxietate, lassitudine »

Divisio

Dividitur tympanitis a variis nosologis vario modo, prouti vel hoc, vel illud divisionis principium ante oculis illis versetur. Frequentissima autem occurit divisio:

I. quad sedem, seu cavum intra quod aer elasticus includitur:

1. In intestinalem, dum nimirum aer, in intestinorum canali contentus, viscera haec in insignem tumorem distendit; quae autem iterum est:

a) Universalis, ubi totus tractus intestinalis isto fluido elastico impletur atque expanditur, et

b) partialis, sive unius alteriusve intestini, atque ut plurimum coli expansio;

2. in abdominalem, uti fluidum gaziforme non in tubo intestinali, sed in cavo abdominis ipso continetur.

II. Ratione originis:

1. in protopathicam, quae, ex dispositione et causa occasionali concurrentibus recens nascitur, quin cum morbo quodam praegresso cohaereat;

2. in protopathicam, quae primarii cujusdam morbi progenies est, uti ascitis, ilei, etc.

III. Quoad decursum.

1. in acutam, quae cito evolvitur celeriterque decurrit;

2. in chronicam, quae lente oritur, lenteque finem suum adsequitur.

IV. Quad gradum.

1. in levem; 2. gravem; 3. gravissimam, quarum significatio facile intelligitur.

V. Quoad complicationem:

1. in simplicem, quae absque ullo alio morbo incedit,

2. in complicatam, quae cum alio morbo, uti ascite, ictero, aut abscessu purulento decurrit.

Nosographia.

Praegressis symptomatibus, colicae flatulentae propriis, saepiusque reccurentibus, molestiae hac constantiores redduntur, atque tumor, qui mox lente, mox raptim exoritur, abdominis oculis digitisque prementibus sese manifestat varius, pro varietate partium, quas aer distendit, ita, ut nunc una, nunc altera regio magis tumens observetur abdominis. Sic regionis epigastricae tumor manibus tuis sese offerret, ubi ventriculus; regionis umbilicalis, ubi totus tubus intestinalis; totiusque abdominis aequabilior, ubi cavum abdominis aere expanditur. Quem tumorem modo in regione iliaca dextera, aut sinistra praecipuae tangi, si colon ascendens, aut descendens sedem morbi sistit, nemo peritorum negabit, et quidem saepius inaequalem atque tuberosum, si alternis constrictionibus intestina distenta fuerint, et quasi intercisa. In quamcunque partem aegrum decumbere jubeas, hicce tumor quoad figuram non mutatur. Si digitis premitur, renititur ceditque; ast iis sublatis, cito assurgentem nullasque foveas retinentem eum videbis, nisi forsan cutis abdominis fuerit simul aedematosa. Neque

auditui peculiare in hoc morbo phaenomenon observandum deest; nam si hunce tumorem digitis, aut quocumque alio instrumento pulsaveris, proprium characteristicumque sonum auscultandi tibi occasio erit, quem cum nullo alio aptius comparare vellem; quam cum sono illo obtuso, quem tympanum madidum, aut panno quodam tectum, edere observamus. Nec tormina atrocia, die noctuque vexantia, miseris parcunt, quae circa regiones lumbales, circa praecordia, et circa umbilicum dolorem, tensivum, rodentem punctoriumque excitant. Qui dolores, veterascente morbo, utplurimum mitigantur, et silent, in plurimis tamen nonnisi letho sopiuntur et tolluntur. Hunc dolorem autem non aliter explicare valerem, nisi ex nimia intestinorum, ac proinde nervorum distentione, aut ex spastica affectione plerumque comite. Quae autem nimia irritatio nervorum quum saepius paralisim producat, non ardum erit intelligere causam doloris, sub acme morbi saepe silentis. Et borborygmi symptomatum tribum augent; nam flatus inclusi per tubum intestinalem, spasmi hinc inde coarctatum, transgredi nitentes sonum excitant, ab adstantibus et aegro percipiendum, qui, ubi, victis impedimentis, viam per ventriculum et aesophagum inveniunt, sub ructum forma expelluntur. Alvum, quod attinet licite a quibusdam auctoribus liquida observaretur, plerumque pertinaciter, imo per octo et plures dies clausa cernitur, quod phaenomenon ex rationibus physiologicis facile explicatur; nam.

a) ubi bilis in tubum intestinalem adfluxus impeditus tympanitidem produxit, deficit stimulus, qui fibras intestinorum ad alacriores excitaret oscillationes, unde feces lente nonnisi versus anum propelluntur;

b) per nimiam tubi intestinalis diutiusque durantem expansionem ejusdem fibrarum inducitur atonia, imo paralysis, sub qua rerum conditione motum peri-

stalticum vel aegerrime absolvi, vel plane silere, quilibet facile perspiciet;

c) ob violentam tubi intestinalis expansionem et vasa secernentia distenduntur, energia eorum infrigitur, quo facto, succi et muci enterici secretio languet, parietes minus lumbrici, feces siccae minusque mobiles redduntur, lentius igitur pertractum intestinalem promoventur, quod alvus scibalosa, stercori caprino similis, ad sufficientiam demonstrare mihi videtur;

d) tubus intestinalis non raro in quibusdam locis spastice contractus et alia impedimenta alvum segniorem reddere valent;

e) tandem nec ratio antagonistica, in qua singulae tractus intestinalis partes versantur ad explicandum hocce phaenomenen praeterridendum esse censeo; nam si physiologiae fidem habere possumus, quae docet, alteram partem contrahi, dum altera expanditur, quid nobis obest, quominus sententiam pronuntiemus, tubo intestinali distracto sphynterem ani antagonistice constringi fecibusque eliminandis inde obstaculum poni.

Si urinae qualitatem et quantitatem spectaveris eam vix non semper rubram et parcam, cum stranguria secedentem videbis in omni graviori tympanitide; nam per nimiam ventriculi intestinorumque distentionem renes et uretheres cum vesica non comprimi non possunt ita, ut secretio, et excretio urinae turbetur. Nec ischuriam rara est occasio observandi, cujus, tam renalis et urethericae, quam vesicalis explicationem in pressione, quam intestina, flatibus valde distenta, in renes, uretheres et vesicam exerunt, absque difficultatibus invenies. Sitis plerumque aucta est, quod symptoma non tam morbo, quam malis secundariis, uti febri heticae, sub altiori gradu accedenti hydrocaeliae etc. adscribendum esse existimo. Similem originem habere videtur et vomitus qui praecipue sub initio et incremento morbi ac-

grorum miserias auget et potius causae symptoma esse plerique auctores defendunt, uti intestinorum inflammationis, colluvici gastricae, spasticae coarctationis tubi intestinalis etc.

Morbo increscente et respirationis laesae symptomata in conspectum veniunt, uti dyspnaea, asthma, imo orthopnea, singultus; quod nemini mirum videbitur, qui perpenderit, per organa abdominalia tumida diaphragma sursum urgeri, tempore inspirationis illi septo, quod cavum pectoris ab illo abdominis dividit, descendendi non esse potestatem, neque pulmonibus sese expandendi pro necessitate. Thoracis a flatibus, in cavis abdominalibus accumulatis, coarctatio bronchiorumque compressio, uti et hydrothorax, tympaniti interdum superveniens, tussim siccam inducere valet, sicuti ex diuturna pulmonum compressione, nata hujus organi inflammatione cum suis sequelis, uti infarctu, abscessu etc., tussis humida, muccosa, puriformis, aut purulenta non raro originem ducit. Et icterus interdum oritur, qui ex infarcto ductu choledocho per causas tympanitidis materiales, aut ex spasmo, sicuti molestiae haemorroidales ex circulo sanguinis, per nimiam aeris in abdomine accumulationem turbato, facile explicantur.

Sub altiore morbi gradu non raro convulsiones superveniunt, periculo plenae, quae alias a doloris atrocitate, alias ab ipsa morbi causa, alias a turbato sanguinis per pulmones compressos circuitu, alias ab impedito ejusdem ab encephalo in atrium cordis dextrum ob camdem causam refluxu, imo non raro ab haemorrhagiis, repentine exortis, originem sumunt. Citius ocyusque accedit febris haectica cum manifestis exacerbationibus vespertinus, quae proh dolor! ut plurimum nimis tarde tantae malorum seriei finem imponit.

Diagnosis.

a) Tympanitis intestinalis sequentibus distinguitur phaenomenis: abdomen praecipue in media et anteriore parte permanenter extensum conspicitur, qui tumor, plerumque inaequalis, aegro supine jacente, non concidit, digitis percussus peculiarem sonum, uti vesica aere repleta, edit. Vexat aegrum nisus continuus flatus sursum deorsumque emittendi, quod autem ipsi nonnisi raro licet. Saepe manifeste persentit, quomodo isti flatus ad certum locum venientes, obstaculo invento, cum dolore et borborygmo redeant. Ab initio persentitur dolor tensivus, rodens, lacerans in regione lumbali et scrobiculo cordis qui, tumore increscente, imminuitur, et tandem penitus silet. Respiratio est citata, brevis tussis sicca, singultus et delassatio universalis vexat. Si morbus diutius durat oritur aestus internus, sitis intensa, febris hectica. Æger corripitur saepius leipothymia, vertigine, dispnea, vomitu saepius recurrente, emaciatur praecipue in facie, pectore et extremitatibus superioribus nec raro icterus evolvitur.

b) Tympanitis abdominalis. Licet diagnosis utriusque speciei difficilima sit, quia utraque saepius conjuncta incedit, attamen ad hanc concludere licebit: si causae praecesserunt, huic inducendae pares, praesertim effusio humoris in cavum abdominis, in fermentationem putridam ruentis, uti bilis, puris, aquae etc.; si desunt borborygmi in intestinis; si flatus nec per os, nec per anum secedunt, aut saltem eorum secessum nullum sequitur levamen; si tumor aequabilior per totum abdomen extenditur, nusquam nodosus, magis sonorus et elasticus invenitur; si dolores minus profunde latent; si alvus, minus obstipata, facilius remediis cietur.

Differentia a morbis affinibus.

Plurimi interest, ut morbus hicce ab analogis rite distinguatur. Status abnormes autem, quibuscum facillime confundi posset, sunt colica flatulenta et ascites.

Differt a colica flatulenta per evolutionem successivam, per incrementum segne, et durationem longam, et per periodum dolorum reccursum.

Ut autem ab ascite rite distinguatur, quocum abdominalis praecipue saepe confunditur, juvabit utrumque morbum inter se invicem comparare.

Tympanitis abdominalis.	*Ascites*
1.) Tumor in tympanitide abdominali mediam superioremque abdominis partem praecipue occupat;	1.) Thumor in ascite partes infimas et laterales tenet;
2.) si abdomen ambabus manibus prehenditur et quasi ponderatur, leve adparet;	2.) pondus majus est, magnitudini tumoris correspondens.
3.) cutis abdominis tensa est, alba, elastica;	3.) cutix laxa est, flacida, mollior, pallida et subinde fere virescens;
4.) abdomen digitis percussum sonat tympani instar;	4) in ascite fluctuatio manifestatur;
5.) tumor abdominis a vario decubitu, vel situ non mutatur;	5.) tumor legibus gravitatis sese accomodat;
6.) pulsus crebrior duriorque observatur.	6.) pulsus parvus mollis est.

Ast bene notandum est, nec in hoc morbo singu-

lis symptomatibus, seorsim spectatis, majorem, ac in aliis morborum speciebus, fidem habendam esse. Sic jam differentia, quam ex pondere statuimus, ambigua redditur, si tympanitis cum infarctu viscerum abdominalium incedit, aut feces in canali intestinali coacervantur, sub quo statu pondus adaugeri, neminem latet. Sic nec in hydrope tumor decidit, aegro supine jacente, si magna seri quantitas in sacci peritonaei, aut cavis clausis coacervatur. Nec peculiaris sonus, quem abdomen digitis percussum prodit, nec defectus flutuationis aut signa pathognostica; nam sonus animadvertitur etiam in hydrope, praecipue, si abdomen ex multo humore collecto magis expanditur, ac flutuationem et in tympanitide observare volunt, quae praeterea in hydrope saccato altioris gradus, cum degeneratione peritonaei, aut scleromate viscerum abdominalium incedente, obscura redditur aut plane deficit. E complexu igitur solummodo omnium symptomatum, habito respectu originis et decursus, errores in eruenda diagnosi tuto evitabis.

Difficillima sane redditur diagnosis in iis casibus, non raro occurrentibus, ubi tympanitis intestinalis, aut abdominalis asciti fuerit juncta; tunc enim utriusque aderunt characteres, intime sese amplectentes, miserias aegri periculumque augentes.

Ætiologia.

Quemadmodum alii morbi, ita et Tympanitis duorum momentorum conflictui, alteri videlicet disponenti, alteri excitanti originem debet.

Causas proëgumenas perscrutaturi plurimas reperimus, inter quas sequentes praecipue eminent:

a) laxitas et debilitas ventriculi, intestinorum, aut muscolorum abdominalium, tum haereditaria, tum adquisita; sic tempore puerperii multarum prolium matribus abdomen saepius intumescit, nisi per fascias firmetur;

b) diathesis peculiaris flatulenta, quam praecipue in faeminis hystericis et viris hypocondriacis observari licet, ob crebros, quibus vexantur, ventriculi intestinorumque spasmos.

c) vitam sedentariam fertilissimam flatulentiae habitualis, per vices redeuntis, matrem esse omnis aevi medici agnoverunt; quin propterea negare vellimus eam ab hominibus debilioribus, flatibus ceterum obnoxis, per exercitia etiam corporis justo vehementiora saepius conciliari.

d) potatores imprimis et, habita sexus ratione, faeminas prae viris hoc morbo corripi, plurimi defendunt.

e) cachexiae variae ad tympanitidem disponunt; sic infarctum viscerum abdominalium praecipue hepatis, bilis secretionem tam quoad qualitatem, tam quoad quantitatem laedit digestionem turbat, et flatulentiae causam praebet. Pari modo et ascites ad hunc morbum disponit, cujus veritatis quililet facile rationem reddere valebit, qui perpenderit, per aquas diutius stagnantes in abdomine, non tantum totum tubum intestinalem relaxari debilitarique, verum etiam ex iis; ubi corrumpuntur, aerem uberiori copia extricari;

f) ne praetervideantur haemorrhoides et tempus menstruationis in sexu sequiori inter momenta disponentia;

g) vitia organica tandem varia aut a prima conformatione uti longitudo tubi intestinalis abnormis et adnata angustatio, aut a morbis praegressis originem petentia, uti durities canalis a praevia enteritide, qua diametro imminuti et fecibus aërique descensu intercluso, superiora loca in saccum peramplum extenduntur, non minus, ac pseudomembranae interno intestinorum parieti adhaerentes tumores in partibus vicinis, volvulus, vermes, polypi, hernia etc., dispositionem in morbum, de quo sermo est fatalem inducunt.

Causis procatarcticis recensentur.

a) ingurgitatio ciborum flatulentorum quotidiana maxime vegetabilium, farinosorum, leguminum sub pauco exercitio corporis, neglecta masticatio vel ex nimia aviditate, vel ex dentium jactura aut corruptione; potus aquosi quo bilis succi gastrici, enterici efficacia debita infringitur cerevisiae non satis fermentatae et vini junioris aut potulentorum relaxantium calidorum quid imo acrium abusus quibus praecipue in iis quorum ventriculus languet, ut in convalescentibus a morbo graviore, non modo major aeris copia per fermentationis processum, quo per calorem digestionis tempore adauctum, corripiuntur, extricatur, verum, etiam si acriora sunt spasmi producuntur; si calidiora humores expanduntur solida debilitantur; si emollientia, fibris muscolaribus tubi alimentaris laxitas inducitur. Inde et ratio patet, cur potatores toties tympanitide corripiantur.

b) Saburra in primis viis, uti cibi indigesti, muci, acidi, bilis degeneratae adcumulatio.

c) Vermes tubi intestinalis; nam in glomerem implexi canalem infarciunt, fecum flatuumque descensum impediunt, obstructo ductu choledocho, bilis in tubum alimentarem adfluxum cohibent, absorbendo fluidiorem chyli partem residuum spissiorem difficiliusque promovendum reddunt, sugendo, rependo, aut sese colvolvendo nervos, fibras musculares vasaque irritant, secretiones perversas, spasmos et inflammationes efficiunt, quin desint exempla, ubi, intestinis ipsis perforatis, aeri in cavum abdominis viam aperuerint.

d) Bilis inopia in tubo alimentari; hac enim sub conditione fibrae musculares intestinorum languebunt, digestio tarde et imperfecte procedet, alvus evadet segnior; hinc quilibet rationem reddere valebit, cur aer, ex ingestis ac fecibus intestinalibus diutius retentis, uberiori co-

pia extricatus calore expandatur et inertiores jam fibras distendendo magis adhuc reddat atonas;

e) Feces alvinae diutius retentae, a quibus, in fermentationem putridam abreptis, major aeris copia evolvitur;

f) Inflammationes viscerum abdominalium, et praeprimis tubi alimentaris, nam hic quilibet perspiciet, per spasmum intestini inflammati fecum flatuumque descensum impediri, per gangraenam, flogoseos aut infrequentem sequelam, non tantum fluidi gaziformis majorem copiam evolvi, sed etiam parietes corrodi, quo in casu, aeri transitu in cavum abdominis concesso, tympanitis abdominalis non evolvi non potest;

g) spasmi, sive debilitatis effectum, sive causam sistant, a quibus aer intestinis includitur ita, ut nec sursum nec deorsum evacuari possit, sed potius continuo magis expansus intestinorum membranas ultra modo cum dolore extendat, quod hysteriasi, hypochondriasi, asthmate spasmodico, arthritide splanchnica laborantes abunde testantur;

h) animi pathemata deprimentia potentissima sunt in ventris turbis flatulentis provocandis; sic hypochondriacos quin ullum in victu errorem comiserint, solo animo ingrato commotos flatibus miro modo vexari, qui supervenientibus gratis effectibus sine omni explosione fugantur et evanescunt, quotidiana docet experientia. Sic et venena plura, sive interne, sive externe, uti per morsum serpentum, corpori ingesta, ventrem extollunt, quod nonnisi per nervorum actionem explicatur;

i) drastica remedia non minus suo stimulo, quam quod vires evacuando infringunt, flatulentias, meteorismum et tandem tympanitidem producunt;

l) typhi gravioris, diarrhaeae habitualis, dyssenteriae chronicae colici, doloris flatulenti, pertinacis ilei,

partus laboriosi, abortus, febris intermittentis, icteri ribellis hydropis aliorumque morborum meteorismus vulgare symptoma sistit, qui in tympanitidem nonnunquam degenerat;

m) ex ulceribus malignis, carcinomatosis, partibus gangraenosis fluidum gaziforme extricatur;

n) metastases, quatenus aliquam hactenus enumeratarum causarum, (uti spasmos, paralysim, vel inflammationem intestinorum) tamquam effectum producunt, tympanitidem generare observantur. Hujusmodi metastases vero sunt:

1) sudoris, nam a refrigerio saepe numero meteorismum ventris, colicasque flatulentas exoriri, neminem esse opinor, qui non in semetipso etiam sit quandoque expertus. His autem affinis est maxime tympanitis, quae nonnisi majori energia causae differre creditur;

2) haemorrhagiarum solemnium suppressarum aut imminutarum, uti; mensium, lochiorum, haemorrhoidum;

3) exanthematum et impetiginum: variolarum, morbillorum, herpetis, si aut ex perversa tractandi methodo, aut sine causa manifesta disparent, sic I. B. Morgagni tympanitidis mentionem facit, a scabie repulsa exortae;

4) rheumatismi, arthritidis etc.

5) tandem et vitia localia causis, timpanitidem producentibus, adnumeranda sunt, uti ruptura, vulnera, perforatio tubi alimentaris, cystitis felleae, quae hinc inde aeri sicuti cibis, aut fecibus, aut bili aditum in cavum abdominis concesserunt.

Nosogenia.

Modum quo supra dictae causae occasionales in corpore disposito tympanitidem producere valeant, per-

scrutantes triplicem praecipue ab auctoribus statutum reperimus. Vel nempe

1. aer cum cibis potulentisque deglutitus et in canali intestinali ob varias causas inclusus partes distendit; Vel.

2. aer intra sphaeram organismi ex humoribus in fermentationem qualemcumque abeuntibus, extricatur. Hac ratione oritur tympanitis ex ingestis cibis et potulentis flatulentis, praecipue si digestio simul languet in febribus putridis, in scorbuto in ultimo stadio áscitis, in gangraena. Vel.

3. aer per processum secretionis peculiarem generatur qui tamen licet frequentissime tympanitidi originem praebere videatur difficulter explicatur. Fors haec aeris generatio seu secretio ex influxu anomalo quadam ratione in suis functionibus turbati systematis nervosi, ortum ducit pro qua sententia argumenta sequentia loquuntur.

a) Videmus affectiones systematis nervosi praecipue gangliosi seu reproductivi uti irritationes turbas in ejus functionibus cum evolutione tympanitidis plerumque ingredi, aut eidem antecedere. Sic est flatulentia consuetissima comes hypochondriae et hysterie; sic animi pathemata et adfectiones dolorificae flatus et tympanitidem producunt, sic oritur ex secretionibus et excretionibus criticis quae a systemate nervoso gubernantur turbatis aut suppressis.

b) Observamus porro tympanitidem semper cum affectione spastica, et quidem, ut videtur, cum spasmo tonico, incedere, cujus ope aer in cavis, aut textu celluloso retinetur. Qualis harum theoriarum proxime sanitati accedat, decidere non audeo, ast illis adhaererem, qui modo unius, modo alterius opinionis, modo omnium, rationem habent in singulis casibus.

Therapia.

Cura magnis certo premitur difficultatibus, medicumque expertissimum exposcit, ob diversitatem causarum, quibus adcommodetur oportet.

Indicationes, quibus satisfiat necesse est, sequentes stabilire possumus: causa tympanitidis auferenda est; aer in tubo intestinali, aut cavo abdominis, praeter normam collectus expellatur; symptomata periculosa et molesta palliativo modo sopiantur; effectus funesti praecaveantur; recidiva tandem, quae facile ingruit ob atoniam, per nimiam partium extensionem relictam, praepediatur.

Remedia, quibus hisce indicationibus satisfacere conamur, sunt vel interna, vel externa, et partim ex pharmaceutico, partim ex chirurgico, partim ex diaetetico sunt deprompta.

A. Remedia interna.

1. Purgantia eximium nonnumquam effectum praestant, cujus ratio illum non fugit, qui perpenderit, iis non tantum acrem feces, mucum, vermes, quibus primae inquinantur viae eliminari, sed et motum peristalticum atque resorptionem fluidi gaziformis incitari accellerarique. Ast maxima certe cautela in eorum selectu observanda, quum fortiora nimis stimulent, flatus adaugeant, imo et inflammationem partium pedissequam habeant. Exinde ratio intelligitur, cur mitiora drasticis ut plurimum praeferantur. Apta igitur cura praeparativa praemissa, laudantur tamarindi, sales tartarici, sulfurici, aquae soterriae catharticae, quae a plurimis, ob multiplices, quos praestant, effectus, valde commendantur; nam ob sales, quod continent, alvum leniter movent,

motui peristaltico stimulum addunt, frigore aerem collectum condensant et absorbent.

Ut certius cathartica effectum desideratum exerant, plurimi interest, ea in connubio cum aptis remediis exhiberi, quae pro vario tubi alimentaris statu et pro varia morbi causa varia erunt, et quidem :

a) absorbentia, uti acida primas vias inquinant, valde efficacia;

b) emollientia, mucilaginosa, oleosa, uti spasmus vehemens, aut inflammatio canali intestinali tympanitidis causam sistit;

c) carminativa, ubi flatus praecipue vexant;

d) anthelmintica, ubi vermes in primis viis nidulantur, uti semina Santonici, filix mas, tanacetum, cort: punic: granat etc.

2. Carminativa quae fibras inertes ventriculi, intestini tenuis ac crassi ad alacriores oscillationes disponunt spasmos solvunt, organis tonum amissum restituunt, indeque contenta, praecipue aeriformia, horum organorum vel sursum, vel deorsum eliminant. Huc spectant. Anisum vulg. et stellat foeniculum, coriandrum carum, calamus aromaticus etc.

3. Absorbentia uti magnesia usta lapides cancrorum, aqua calcis, carbo praep. alcalia carbonica, quae aerem absorbere dicuntur certe parum prosunt.

4. Antispasmodica egregium saepius praestant effectum; nam quum vix tympanitis absque spastica affectione oriatur, quae aëri exitum intercludit merito plerumque purgantibus praeferuntur. Inter haec excellunt: Chamomilla, Valeriana, Asa faetida, Camphora, Æteres, olea aeterea imo et Opium. In statu irritativo autem tubi intestinalis cautus sit eorum usus, et vix absque connubio cum mucilaginosis et oleosis exhibeantur; quum inflammationem et gangraenam inducant.

5. Nec relaxantia, mucilaginosa, pinguia, sapona-

cca negligenda sunt, ubi status inflammatorius uti enteritis peritonacitis etc. tympanitidem sustinet; nam hic nec ad carminativa, nec ad purgantia recurrere licet, sed solummodo dictis remediis partes spasmis coarctatas emollire et relaxare ac irritabilitatem nimian obtundere commendant practici. Conveniunt ergo emulsiones decocta emollientia Altheae etc.

6. Et aperitiva egregium effectum iti praestant ubi aut infarctum viscerum abdominalium, aut evacuationes solemnes et habituales suppressae morbi evolutioni ansam praebuerunt; quae remedia igitur pro varietate causae, mox et tribu solventium mox ex numero emenagogorum, mox ex vasto antiscrofulosorum cohorte petenda erunt.

7. Ex aqua frigida copiose hausta eximium subinde experti sunt effectum qui nec difficilis explicatu illi videbitur, qui mente ab omni praeconcepta opinione libera consideraverit, per eam aerem in minus volumen condensari cogi, sicque ejus actionem in parietes intestinorum imminui, magnam aeris elastici copiam absorberi motum peristalticum languentem excitari, et contractilitate intestinorum ubique aequabiliter aucta, spasmos locales solvi tollique.

8. Diureticis a quibusdam in usum tractis, vix aliquam efficaciam tribuimus nisi tympanitis cum hydrope conjuncta incedat, quo in casu autem omnibus reliquis medicamentis palmam eripiunt.

9. Nec tonica remedia negligere putamus praecipue sub convalescentia, ut atonia partium adfectarum corrigatur et recidiva praecaveatur. Hunc in finem cortex cascarille, decoct. glandum quercus, serum aluminatum, cortex peruvianus, acida mineralia dulcificata, martialia etc.; si bilis secretio aberrat, amara; fel tauri inspissatum, quasia, aloe. Quae omnia tamen caute exhibeantur quum alvum obstipatam sensibilitatem et pro-

clivitatem in spasmos augeant, hinc ad novam tympanitidem disponant.

B. Remedia externa.

Inter remedia externa sine dubio clysmata primum locum occupant et profecto ubi intestina crassa sedem morbi praecipue sistunt, plus a clysmatibus quam ore assumptis remediis est sperandum. Haec autem semper morbi naturae adcommodata sint oportet. Sic in morbo ex spasmi orto clysmata oleosa saepius de die injiciantur. Plus utilitatis adhuc et citius praestant enemata antispastica, uti ex infuso saturato florum Chammomillae cum Assa faetida, vitello ovi subacta, aut ex infuso rad. Ipecacuanhae. Ubi vero insignis tubi intestinalis debilitas observatur ibi enemata nervino-stimulantia uti infusa Menthae crisp., aut piperitae, Melissae etc.; aut roborantia uti ex infuso summitatum Mille folli summo jure exhibentur. *P. Frank* clysmata ex infuso herbae Nicotianae, scopo dolorem sedandi et aerem evacuandi exhibuit. Clysmata ex aqua frigida cum aceto idem praestant, ac eadem remedia ore assumpta. Etiam abdomen vastum praebet campum medicaminibus topicis adplicandis, vel sub forma faetus vel cataplasmatis, vel unguenti, vel emplastri, vel balnei ec. Sic ubi dolor vehemens sedandus est innunctiones cum oleo hyosciami cocto, cum unguento simplici opio juncto etc. multum levamen adferunt. Ubi tumor absque dolore conveniunt magis remedia excitantia, uti innunctiones cum oleo Mentae piparitae, oleo roris-marini cum aetheribus camphora impregnatis. Et fomenta ex infusis herbarum aromaticarum virtute excellunt. Quorum remediorum efficacia crescit, si digitis leniter quin dolor excitetur infricantur. Priscis temporibus famam magnam obtinuerunt fomenta ex lapide prunellae (nitro) in urina pue-

rorum cocto. Balnea aromatica, tepidula saepius adhibita eximia sunt, ubi tympanitis ab exanthemate retropulso, aut refrigerio orta, vel cum cutis siccitate incedit. Omnia haecce remedia agunt partim ut antispastica, partim ut derivantia, partim ut incitantia vasa resorbentia ad majorem energiam qua interdum resorptio fluidi gaziformis obtinetur.

Siculi frigus interne ita et externe ventri adplicatum praestans praebet remedium quod jam Hippocrati notum fuit, qui abdomen aqua frigida suffundere suadet. Ubi canalis intestinorum omnem fere tonum amisit, nil certe salubrius est quam aqua frigida, et in casibus disperatis nive, aut glacie ubique abdomen fovere, ut aer in minus redigatur volumen, et motus intestinorum peristalticus fere emortuus resuscitetur.

Si ex anamnesticis haemorrhoidum aut fluxis menstrui suppressionem ut causam tympanitidis occasionalem agnoscere licet tum conveniunt, evitatis sedulo spasticis excitantibus purgantia ex sulfure cum cremore tartari hirudines ad limbum ani, ad perinaeum et labia pudenda majora. Nodi haemorrhoidales aperiantur et sanguinis profluvium eo usque sustineatur donec 12-15 unciae circiter emissae fuerint (in adulto) sub hisce conditionibus ne timeat medicus repetitas venae sectiones, praecipue si individui constitutio pulsus durus et plenus, aliaque plethorae indicia iis favent.

Anthilae pneumaticae qua orificio ani applicata aer ex intestinis extrahi potest certe utilitas non deest praecipue si aer inferiori tractus intestinalis parte accumulatur licet momentaneum solummodo levamen inducat.

Experientia educti paracentesin in ruminantibus domesticis quorum abdomen ex nimia herbae recentis, praecipue trifolii sativi, ingurgitatione in tumorem ingentem expanditur felicissimo cum successu, institui hanc et in tympanitide tentarunt medici. Exinde autem non-

nisi in tympanitide abdominali bonum sperari posse effectum, et quidem plerumque palliativum, neminem fugit.

Ad praecavendam recidivam fascia abdominalis non sine utilitate in usum trahitur, qua atonia muscolorum abdominalium tollitur, intestinorum expansio praecavetur. Notandum tamen, ne nimis arcte constringatur.

Regimen diaeteticum.

Tam sub cura quam ut recidiva praevertatur, maxime sane momenti est regimen diaeteticum. Rejectis itaque alimentis flatulentis dyspeptis, acribus uti sunt legumina, lac crudum pastae ex farina confectae, fruantur aegri potius cibis animalibus, uti pullis gallinaceis, carne vitulina assata, jusculis concentratis et similibus. Vitata cerevisia praecipue non bene fermentata, utatur moderato vini blandi usu, si caeterum morbi natura id permittit. Pathemata animi uti iva maeror terror sollicite vitentur oportet, quum non tantum producendae tympanitidi paria sint, sed et causam morbi fovendo curam frustraneam redderent. Tranquillitatem ergo animis aegris, praesertim hystericis et hypochondriacis suadere medico cordi sit quam maxime. Moderatus corporis motus tandem in aere puro et libero, si vires et ventris moles sinunt praecipue in convalescentia summopere est utilis atque necessarius.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnibus vitae cum sanae tum morbosae legibus omnino repugnat hominem absque ullo cibo et potu vivere diutissime posse.

II.

Ad fictos morbos reorum detegendos, quodcumque et dolorosum experimentum minime omittendum.

III.

Ubi vigent vegetativae vitae functiones, ibi et digestio et assimilatio.

IV.

Nova opificia novos morbos ingenerant.

V.

Scrofulae radix in assimilatione inquirenda.

VI.

Quot aegri, tot curae.

VII.

Criteria certa conceptionis non dantur.

VIII.

Saepe scabies radicem suam non in sola cute sed in sanguinis mixtione morbosa habet.

IX.

In febribus ab organica dissolutione prodeuntibus, sanguinis emissio fatalem finem accelerat.

X.

Dolor beneficium naturae.